



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus

Pappus von Tratzberg, Franz

Ulm, 1725

Fasciculus LX. Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)

cogaris perpeti, vive nunc Mardocheo in timore Dei, stans cum illo ante fores, ut non ingrediaris Aulam mundanae vitae.



FASCICULUS LX.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 8. & 9. lib. Esther, in quibus describitur: quomodo sententia contra Judaeos lata per preces Estheris revocata, Mardocheus exaltatus.

Considera: **V**irginem Dei Matrem erga clientes suos in particulari judicio talem agere Patronam, qualem pro Judaeis Esther egisse legitur. Jacet illa ante pedes caelestis Assveri, & pro eorum salute sollicita exclamat: quomodo enim potero sustinere necem & interfectionem Populi mei? v. 6. citati cap. 8. Naturalista memorant: pavonem masculum esse infensum pullis, eò quòd foedam & luteo colore tinctam ferre soleant speciem, colori parentum longè difforem. Quare tanquam abortivos reputans pater, eos ad necem quærat: hoc ergo periculum pullis suis imminens mater advertat, & eos sub alis abscondens morti subtrahat. Haud aliter Judex æternus peccatores velut filios abortivos persequitur, quærens eos ad necem æternam, utpote affectos deterrimò peccatorum colore: sed adest ociùs patrocini sui alis Virgo Mater, & precum suarum præpotenti auxiliò eos jam parato subtrahit exitio. Hinc poterunt devoti Mariæ Clientes cum Davide testari Psal. 36. *In die malorum protexit me in abscondito Tabernaculi sui.* Maria Tabernaculum meritò vocatur, sub quo non tantùm Divinitas & humanitas Christi olim recondita morabatur, sed etiamnum absconditi morantur peccatores, ut effugiant tremendi Judicis iram. Confirmat hoc Isaias, dum ait: *in die malorum super omnem gloriam protectio & Tabernaculum erit in umbra diei ab aestu, & in securitate, & in absconsione, à turbine & à pluvia.* Optime igitur

T t t 2.

igitur accinit Poëta Christianus : *Fulgmina si metuas , Christi venerare parentem, opposita matris fulmina nulla cadent.* Quærit nonnullus : cur Salvator in cruce moriturus, propius sibi adstare passus sit Matrem Virgineam ? forsan id ea de causa factum : ut sicut una mulier arborem circumstans, mortem Mundo pepererit, sic alia arbori pariter vicina pareret nobis vitam ? est non diffiteor conceptus notatu dignus : sed alium proposito nostro magis accommodum affert Belbertus lib. 9. p. 2. a. 3. asserens : Mariam ideò tam vicinam existisse Crucifixo , ut sic copiam haberet clientes suos (etsi peccatores) majori efficaciam eidem commendandi, verba citati authoris sunt : *ut quando justò Judicio ira Dei in nos ad puniendum, & damnandum deberet excandescere, Ipsa Dei piissima Mater memor loci & temporis & charitatis Christi in cruce exhibita, pro nobis affectuosius interpellandò mediaret.* Gravissimam à germano suo persecutionem perpessus Jacob, etiam spem obtinendæ Primogenituræ, solutò pretio jam jam sui juris factæ, videbatur amisisse : sed hem ! partes filii sui strenuè actura mater illum tegit hædorum pelliculis, præparat cibum, & ob maledictionis paternæ timorem propius accedere recusantem animat, dicens : *in me sit ista maledictio sili mi.* Genes. 27. Sed nunquid Maria non altera Rebecca est ? dum peccatorem, licet scædis hædorum pellibus vestitum, ad paternam Benedictionem à Christo recipiendam introducit, metuentem animans dicendò : *in me sit ista maledictio sili mi : tantum audi vocem meam.* Evenit inde : ut piò astu mitigatus Judex, maledictionis locò decernat : *der tibi Deus de rore Cæli &c.* talique benedictione affectus Mariæ cliens instar Mardochei fulgebit vestibus regis, hyacinthinis & arinis, coronam auream portans in capite, & amictus sericò palliò atque purpureò. v. 15. cap. citati.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 10. 11. & 12. lib. Esther, in quibus describitur Mardochei somnium de fonte. Regis gratitudo propter manifestatas insidias &c.

N. 391. Considera : **M**irabile Mardochei somnium, v. 6. cap. 10. descriptum. Viderat ille objectum sibi parvulum fontem , qui creverat in fluvium, inde in lucem & solem conversus. Præfigurabat hæc mira species ipsas res, quas palam postea fecerat eventus. Per Mardochei enim exaltationem & Amani depressionem sol felicitatis Hebrai-

braicæ prodibat ex aquis tribulationum, quibûs diu fuerat immersus. Ita sanè divinâ agitur Providentiâ: ex mœrore lætitiâ, ex humilitate gloriam nasci. Notissimum est illud Problema, quod Philistæorum Domitor Samson proposuit solvendum, Judicum 14. asserens: *de comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* Reperit nempe in faucibus leonis à se occisi examen apum. Leo iste adversitas est, contra hominem assurgens: hanc, qui fortî constantique animò tulerit, discerpit leonem, mel inde solatii & gaudii extrahens. S. Antonius de Padua illum textum Deuteronomii 33. *inundationes maris quasi lac fugent,* explicans ait: *ò quàm dulcis amaritudo! quàm levis tribulatio! quàm Electi sustinent pro Christi nomine.* Hinc lapides Stephano fuere dulces, craticula Laurentio frigida, sagittæ Sebastiano molles, & Agathæ ipsi ignes instar roris existere. Experientia probat: arbores quò altius ramos suos erigunt, eò pauciores ferre fructus: quò autem profundius terram contingunt, eò pluribûs abundare. Sunt homines arborum instar, quò igitur mundanis favoribus perfruuntur magis, eò minus de solidis cœli deliciis participant. At quò ab adversante fortunâ & corporum doloribûs fuerint magis depressi, eò majori in numero & pondere favores sentiunt Dei, quod ipsum claris probat verbis Petrus Bless. Epist. 142. scribens: *dejicit Deus, ut erigat, vulnerat, ut sanet.* Hoc præter Mardochæum & innumeros alios docet suò exemplò Josephus Ægyptiacus, qui pro diuturno carcere Aulam regalem, pro compedibus auream catenam, pro sordido habitu stolam byssinam, pro despectu supremum gloriæ apicem obtinuit. ò Christiane! si adversitates à nobis patienter sublata, in hac etiamnum vita tanta parturiunt commoda, quid præstabunt in altera, in qua est proprius mercedi locus? si ergo sentias: te amarò tribulationis fonte cum Mardochæo & Judæis obrui, cogita: eum in lucem solemque felicitatis, si non in hoc saltem in altero sæculo certò certius esse mutandum, ubi fidelitas tua cum Mardochæo æternam habebit mercedem.

Doctrina 3.

Desumpta ex residuis capitibus lib. Esther, in quibus describitur lætus Esther ob Judæorum imminens periculum, ejus deprecatio. Introitus ad Regem.

Considera: **Q**Uod Esther cœlestem placatura Regem, regias vestes & N. 392.
superbum mundi ornatum exuerit: fletibus & lætibûs

hûs apta indumenta suscipiens. v. 2. capit. 14. Regem vero terrestrem placatura, circumdata sit gloriâ v. 5. capit. 15. ô stupendam fœminæ prudentiam! quæ utriusque Regis dispari genio tam dextrè se accommodat. Noverat illa: apud Magnates sæculi odio haberi, quidquid humilitatem sapit, esse venerationi, quidquid redolet Pompam & Fastum. Econtra gratius nil fore Deo, quàm quod humilitatem & abjectionem spirat. *Tandè, ait Mag. ille Greg. Moral. lib. 18. c. 20. unaquæque anima sit pretiosior ante oculos Dei, quantò præ amore virtutis despectior fuerit.* Eâdem horâ, quâ Unigenitus Dei Filius instar peccatoris baptizari voluit à Joanne, paterna vox de cœlo audita est Matth. 3. dicens: *hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Intellexit David: virum se esse juxta cor Dei: at unde hoc præconium promeruit, nisi ex profundissima abiectione sui, quâ permotus; nunc se canem mortuum, nunc vermem, nunc opprobrium hominum & abiectionem plebis vocavit? nunquam tam gratiosâ manu attractus venisset ad Jesum Petrus, nisi descendisset de navicula. Nunquam Zachæus hospitem habuisset Christum: nisi festinus de arbore se demisisset. Sicut de fonte nemo recreabitur sapidò potu, nisi qui inclinaverit se: ita de aquis divinarum gratiarum nemo hauriet salutis haustrum, qui per humilitatem sese non demiserit ab alto. Purpura piscis ascendit ad regale ornamentum; illa tamen non nisi in profundo salis maris quæri debet. Quare ô Christiane! pro peccatis tuis Deum cum Esther placaturus, & redditurus propitium, omnem tam corporis, quàm animi fastum superbiâque depone. Tibi displiceas, ut Deo soli placeas. Quò plus de quantitate continua materiæ alicujus demitur, tantò magis quantitas accrescit discreta: ita quantò plus tibi per humilitatem abstuleris de æstimatione tui, tantò plus augebitur in te gratia Dei, ejusque beneplacitum. Nec tuam solummodò salvabis animam, si eam Cœlò & Deò indignam condemnabis: sed cum humillima Esther plurimum quoque procurabis salutem; cum econtra tuum tuorumque subires exitium, si arrogantia & superbiæ locum dares, Amanum imitans, qui è furca suspensus, familiam quoque suam traxit in mortem. Monitis ergo Eccles. morem habe,

quibus te c. 11. erudit, dicens: *in die honoris tui ne extollaris.*

FASCI-